445

G

146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

445 G 146
146

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE LEGITIMA,

QUAM,
ANNUENTE DIVINO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
FREDERICI DEKKERS,
Med. Doct., in Illuſtri Academia Lugd-Batav.
Praxeos Medicæ & Collegii Practici
Profeſſoris Ordinarii,
NEC NON
Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Celeberrimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum EXAMINI ſubmittit,

NICOLAUS VOET, Ultraj.

Ad diem 20. Auguſti, hora locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M DCC.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Nobiliſſimis, & Graviſſimis

VIRIS,

D. JOHANNI. VOET. J. U. D. ejuſdemque facultatis, in illuſtri Batavorum Academia, Profeſſori clariſſimo, celeberrimo.

D. PAULO. VOET. VAN WINSSEN. JCto. Civitatis Ultrajectinæ Viro Conſulari, Celſiſſimorum, ac Præpotentium Fœderati Belgii D. D. ordinum Generalium olim adſcripto: nunc vero Illuſtribus ac Præpotentibus D. Ordinibus Trajectinæ Diœceſeos, ut & Equeſtri Ordini à Secretis, Feudorumque ejuſdem Diœceſeos Graphiario: Cognatis & Patronis æternum venerandis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Exercitationem hanc una cum ſe ipſo

D. D. D.

NICOLAUS VOET.

Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE LEGITIMA,

PROOEMIUM.

NOn minus vere, *quam eleganter Romanæ eloquentiæ Parens inquit*, lib. 1. de offic. in princ. Natura imprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt, ingenerat, ob eaſque cauſas ſtudet parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum & ad victum, nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, cæteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. *Nihil enim æquius, nihil dictamini rectæ rationis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

convenientius dici poteſt, quam eos, quorum opera liberi hujus vitæ redduntur participes, id etiam agere, ut exhibitis debito bonorum ſubſidio, cæteriſque alimentis, eoſdem in vita conſervent: certe, non ut ſtatim morerentur liberi, progenerant parentes, ſed ut in illis vim promoveant inſitam, & per liberos, qualem à Majoribus ſuis acceperunt, famam, gloriam & nomen poſteris relinquant. Quorſum, obteſtor, indulgentiſſima & benigniſſima parentum erga liberos munificentia, paſſim obvia, aliter tendit, quam ut demonſtret benevolentiæ & paterni affectus efficaciam, ita naturalem, & ingenitam, ut maximo cum deſiderio hac in parte officio ſuo ſatisfacere ipſos videas? ita ut ſummopere mirari ſubeat, tales olim extitiſſe, & etiamnum hodie reperiri parentes (ſi ipſos ita nominare fas ſit) tam efferatos, tam crudeles & barbaros, ut liberis ſuis, proprio ſanguine progenitis, ad quotidianæ vitæ uſum neceſſaria ſubtrahere, aut denegare non erubeſcant. Egregie reſpondet Paulus l. 4. ff. de agnoſc. & alend. liber. Necare videtur, non tantum qui partum perfocat, ſed & is qui abjicit, & qui alimonia denegat.

Quæ impia, & inhumana talium crudelitas (quoniam leges egregias ex delictis aliorum gigni, certum ſit. *Tacitus Annal. lib.* 15. *cap.* 20.) *occaſionem optimis legibus dedit; adeo ut, ſi quis vivus parens liberos alere, detractet, pro modo facultatum à Judice alimenta conſtituantur, & ſi non præſtentur, pignoribus captis, & diſtractis, cogetur ſententiæ ſatisfacere.* l. 5. §. 10. ff. de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

de agnoſc. & alend. liber. *ſin vero, mortuus parens ſine juſta cauſa liberos ſuos ab hereditate excluſerit,* ad querelam inofficioſi teſtamenti, *tanquam ad anchoram ſacram, firmiſſimum illis eſt refugium. Ne tamen hujuſmodi Conſtitutiones naturali libertati, qua moderator & arbiter rerum ſuarum, libere de rebus ſuis, quo velit modo, poteſt deſponere, nimium detraherent, & dubium eſſet, quantum ad victum & amictum foret neceſſarium (ut pote dependens à circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ) maxima æquitate placuit Romanis Legis-latoribus certam quantitatem, loco alimentorum relinquendam, definire; quæ vulgo venit* Legitimæ *nomine: & nobis ex vaſtiſſimo juris Oceano præprimis arriſit, ut ejus explicatione & diſquiſitione, Legibus Academicis ſatisfacerem.*

Hæc autem de legitima præfari conſultum duximus, cum inconveniens ſit (verba ſunt Gaji, in l. 1. ff. de orig. jur.) *omiſſis initiis, atque origine non repetita, illotis, ut ita dicam, manibus, materiam, cujus interpretationem promiſimus, tractare.*

Ordinem vero nobis præſcripſimus, qui præmittit vocis Etymon, tum rem definit, poſtea inquirit unde oriatur, quibus debeatur, quæ quantitas legitimæ ſit, quo tempore ſpectanda, quæ in quartam imputanda, & tandem examinat, quo titulo relinquenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

THESES I.

Rubrica hujus diſſertationis eſt de *Legitima*, neque opus cenſemus, ut verbum ſubſtantivum, *portione*, vel *parte* adjiciatur, cum verba uſu valeant, & hoc vocabulum *Legitima* longo tempore ita communiter receptum ſit, ut ab *adjectivo* in ſignificationem *ſubſtantivam* deflexum merito dici poſſet. *Huber. diſp. ad inſtit.* 62. §. 1. non etiam nimis dura iſtiusmodi Elliptica locutio dici poteſt, cum eadem *in quarta D. Pii* inveniatur. *l.* 8. §. 16. *ff. de inoff. teſt.*

Legitimum autem proprie illud dicitur, quod legibus expreſſe conſtitutum eſt, quod eſt æquum, juſtum, conveniens, lege, more, atque inſtituto majorum factum, ſic Martialis *l.* 5.

Quæ legis cauſa nupſit tibi Lælia, Quinte
Uxorem potes hanc dicere legitimam.

Hinc etiam tutela, quæ proximis agnatis lege XII. Tab. deferebatur, *Legitima* vocatur: eodem modo heredes ab inteſtato *Legitimi* vocantur, oppoſite ad teſtamentarios. *l.* 28. *ff. de hered. Inſt.* ita etiam tempus legibus ſtatutum *Legitimum* dicitur. *l.* 4. *Cod. de tranſact.*

II.

Hoc autem loco nos *Legitimam* definimus, *portionem bonorum, quam lex iis, qui ex officio pietatis non poſſunt excludi, neceſſario relinquendam præcipit.* uno verbo, Legitima eſt portio portionis ab inteſtato debitæ. Acriter hic contendunt interpretes, an illa portio portionis pars *hereditatis* ſit, an *bonorum*: quæ primo intuitu de lana caprina quæſtio videri poſſet, ſed re penitius inſpecta, nec inutilem, nec injucundam hanc controverſiam videbimus. Nobis itaque majori jure *bonorum*, quam *hereditatis* pars dici meretur, quod probamus, tum expreſſa lege, nimirum 6. *C. de inoff. teſt.* ubi *quarta bonorum pars* appellatur, tum rationibus, quarum prima deſumitur, ex ipſa *Legitimæ* natura, cujus ratio non ante ineunda, non ante præſtanda, niſi funeris impenſæ & æs alienum fuerit deductum, atque ita Legitima revera eſt pars eorum, quæ deducto ære alieno ſuperſunt, quæ totidem verbis definitio *bonorum* eſt, tradita in *l.* 39. §. 1. *ff. de verb. ſign.* cum contra, ſi hereditatis foret, includere deberet æris alieni onus. Altera ratio petitur ex modo relinquendi, cum olim non inſtitutionis tantum, ſed & quovis titulo legati, fideicommiſſi, donationis &c. relinqui poſſet, quæ omnia quam maxime â nomine *hereditatis* ſunt remota. Tertia ratio, qua evincitur hanc legitimam minus recte heredi-

reditatis partem dici, deſumitur ex actione, qua ad *Legitimæ* ſupplementum contenditur, quæ non eſt *petitio hereditatis*, qua neceſſario deberet experiri, ſi *hereditatis pars* foret, ſed *condictio ex lege.* Ultimo loco argumentamur ab abſurdo, certe nullum poteſt â teſtatore gravamen imponi legitimæ, atque ſi hereditatis pars ſit, pro ea parte pro qua filius heres eſſet, non poſſet vindicare fundum â patre alienatum, ſed judicium defuncti in eo probare teneretur, quod non leve ſane gravamen foret; altera, quæ hinc fluit, abſurditas eſt, quod legitima hoc modo damnoſa eſſe poſſet, ſi enim hereditatis pars foret, teneretur ultra legitimæ vires ſuſtinere æris alieni molem, quæ binæ poſteriores cauſæ etiam ſatis clare evincunt, quanta ſit hujus controverſiæ utilitas, & neceſsitas.

III.

Non autem erimus operoſe ſolliciti de hujus Legitimæ origine, an lege introducta ſit? an lege Glicia? an lege Falcidia? an ad exemplar quartæ Falcidiæ? an conſuetudine? ſuffecerit enim in Prooemio demonſtraſſe Legitimam, quoad originem, eſſe Juris Naturalis, quoad formam, Juris Civilis. Qua occaſione etiam in tranſitu notabimus ſolutionem famoſæ quæſtionis, ducentis jam retro annis agitatæ, *teſte Socin. ſenior. conſil.* 151. *C.* 1. an Legitima tolli in totum posſit? ſi enim jus Civile ordinem naturæ prorſus invertere non valeat. *l.* 1. *ff. de Uſufr. ear. l.* 6. *ff. de juſt. & jur.* & Legitima ſurrogetur loco alimentorum *Nov.* 18. eaque jure naturæ debeantur *pr. Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* proculdubio legitimam non plane tolli poſſe, dicendum eſt. Qnoniam quisque inevitabili necesſitate naturæ curare debet, ut quos fecit in mundo ut eſſent, iidem in mundo ſubſiſtere queant: licet autem Legitima plane tolli non posſit, augeri tamen & minui poſſe, extra omne dubium eſt; quod *ſequenti paragr.* 6. patebit.

IV.

Competit autem hæc Legitima omnibus illis, quibus â lege conceſſa eſt querela inofficioſi teſtamenti, nempe liberis, parentibus, & fratribus; ſic in præfatione *Novellæ* 1. §. 2. Imperator dicit; *legem teſtantibus quibusdam neceſſitatem imponere, diſtribuere quandam partem perſonis quibusdam, tanquam hoc ſecundum naturam ipſis debeatur, quale eſt filiis, nepotibus, & patribus atque matribus, interdum vero & fratribus.*

Legitima ergo relinquenda eſt liberis cujuscunque fuerint ſexus, ordinis, dignitatis: maſculis, fæminis, ſuis, emancipatis. *l.* 1. §. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

C. de Epiſc. & cler. ſanæ mentis, furioſis, *l. 9. C. de imp. & al. ſubſt.* etiam divitibus, licet illis alimenta non debeantur, *l. 5. §. 7. ff. de agn. & alend. lib.* Porro non legitimis modo, ſed & adoptivis, & legitimatis relinquenda eſt Legitima. Adoptivis quidem in ſpecie, ut pote qui eodem jure cum legitimis gaudeant, querelam inofficioſi teſtamenti habentes. §. 2. *Inſt. de inoff. teſt.* Arrogati vero, ſi impuberes ſint, quartam D. Pii, ſi puberes Legitimam jure exigunt. Idem debetur legitimatis, nec intereſt an per reſcriptum Principis, an per ſubſequens matrimonium, an per oblationem Curiæ legitimentur. Videatur *Nov.* 89. *Cap.* 7. 8. 9. Naturalibus autem & ſpuriis nullum jus quæſitum eſt in bona paterna: cum vulgo quæſiti matrem ſequantur; *per. jur. vulgat.* inceſtuoſis autem nec ex maternis bonis quicquam debetur, talesque nequidem alendos eſſe, Imperator inquit. *Novell.* 89. *cap. ult.*

V.

Cæterum, ſi liberi primi gradus deficiant, nepotibus legitima debetur: *Nov.* 1. *præf.* §. 2. utpote qui eodem modo ac in ſucceſſionibus ab inteſtato, jure repræſentationis, ſubintrant in locum prædefunctorum: ſi vero nec liberi nec nepotes ſuperſint, reverentia & pietas parentibus debita hiſce Legitimam vindicat. *Nov.* 1. *præf. Nov.* 18. *C,* 1. ita ut Parentis nomine quivis proximus in linea aſcendente intelligatur. *l. 51. ff. de verb. ſign.* Poſt parentes Legitima Fratribus debetur, in caſu, quo turpibus vel levi macula notatis perſonis poſtpoſiti ſunt. *l. 21. & 27. C. de inoff. teſt.* intelligendi autem hic ſunt fratres Germani, aut conſanguinei, non vero uterini, neque naturales, quibus uti & reliquis cognatis querela non datur. arg. *l.* 21. 27. & §. 1. *Inſt. de inoff. teſt.*

VI.

Eo jam pervenimus, ut videamus quanta ſit Legitima: olim autem quarta pars ejus, quod ab inteſtato ad liberos perventurum erat, ſufficere viſa eſt. *l.* 8. §. 6. & 8. *l.* 31. *ff. de inoff. teſt.* hodie vero eſt triens, ſi quatuor fuerint liberi, ſemis vero ſi plures ſint, quam quatuor: ſecundum vulgarem verſiculum.

Quid pro Legitima dant natis jura? trientem
Quatuor aut infra, ſemiſſem quinque, vel ultra.

Audiamus etiam Imperatorem *in Nov.* 18. *C.* 1. hunc in modum Legi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Legitimam terminantem, *ut ſi quidem unius eſt filii pater aut mater, aut duorum, vel trium, vel quatuor, non triuncium eis relinqui ſolum, ſed etiam tertiam propriæ ſubſtantiæ partem: hoc eſt uncias quatuor, & hanc eſſe definitam menſuram, uſque ad prædictum numerum. Si vero ultra quatuor habuerint filios, mediam iis totius ſubſtantiæ relinqui partem &c.* idque non obſcura ratione, nam quo major eſt liberorum numerus, eo portio decerpta alimentis minus ſufficere ſolet. *Præf. Nov.* 18. Ea autem auctio Legitimæ in Parentibus quoque recipienda eſt. *Nov.* 115. *C.* 5. in fratribus tamen haud ita eſſe, plerique volunt, idque ob hanc rationem, perſpicuam ſatis, ſcilicet, quod teſtator regulariter legitimam illis relinquere non teneatur, nec querelam habeant, præter quam in una facti ſpecie, ſc. Si turpis homo ſit inſtitutus heres. In hoc modo computandis liberis numerum augere videtur etiam exheredatus, ſi adhuc agere cum effectu poſſit. *l.* 8. §. 8. *ff. de inoff. teſtam.* Si vero querelam movere nequeat, quia forte jam repulſus, vel tempore excluſus eſt, vel repudiavit, numerum non augebit. *l.* 17. *ff. de inoff. teſt. arg. l.* 10. §. 4. *ff. de bon. poſſ. cont. tab.* ita ut per talem neque augeatur, neque minuatur Legitima.

VII.

Porro conſtat patrem vivum licet ſua diſſipet & luxu conſumat â liberis nullo modo compelli poſſe ad Legitimam præſtandam: videatur *l.* 1. §. 19. *ff. de collat.* Ubi expreſſe negatur quartæ petitio naſcidum pater vivit: conſideranda enim bonorum quantitas, unde Legitima computabitur, tempore mortis, nulla quippe poteſt in hominis vivi bonis Legitima concipi, refertur enim ad ſucceſſionem ab inteſtato, viventis autem nulla eſt ſucceſſio. *l,* 1. *ff. de hered. vel action. vendit. l.* 1. *ff. pro hered.* eodem ergo modo, quo in legis Falcidiæ detractione receptum eſt. §. *penult. Inſt. ad leg. Falcid.* idque ſecundum expreſſum Imperatoris Antonini reſcriptum, in lege. 6. *Cod. de inoff. teſt. cum quæritur, an filii de inofficioſo patris teſtamento poſſint dicere, ſi quartam bonorum partem mortis tempore teſtator reliquit, inſpicitur.* Eo uſque hæc vera ſunt, ut poſt mortem, nec minui nec augeri poſſit Legitima: niſi incrementum ſupervenerit bonis defuncti ante definitam Legitimæ quantitatem, quo caſu augmentum allaturum erit Legitimæ, quod & in detrimentis obſervandum, ex vulgata regula, ſecundum quam pericula & incommoda rei cujusque eum ſequi debent, quem commoda ſequuntur. *l.* 10. *ff. de R. J.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

VIII.

Neceſſario autem præſtanda Legitima *arg. l.* 8. §. 8. *ff. & 29. C. de inoff. teſt.* nam non ex Teſtatoris arbitrio, ſed ex legis præſcripto hæc tota res dependet, quapropter neque ab ulla conditione ſuſpendi poteſt, neque ullo modo gravari, nec legato, nec fideicommiſſo, ſed ſine gravamine vel mora relinquenda eſt, adeo ut ſi dilatio, modus, vel aliquid tale adjectum ſit, pro non ſcripto, & irrito habendum ſit, *ll.* 30. *&* 32. *C. de inoff. taſt.* Veluti tamen plurima patrimonio defuncti annumeranda ſunt, ut inde Legitimæ quantitas definiatur, ita etiam quædam in Legitimam imputanda ſunt, & quidem (ut uno verbo dicam) ea omnia, quæ conferuntur, id eſt, quæ collationis neceſſitati ſunt ſubjecta, *arg. l.* 20. *pr. C. de Coll. & l.* 29. *C. de inoff. teſt.*

IX.

Cæterum olim Legitima relinqui poterat quovis titulo, ſeu inſtitutionis, ſeu legati, ſeu fideicommiſſi, *l.* 8. §. 6. §. *ult. inſt. de inoff. teſt. Nov.* 18. *C.* 1. Jure autem novo, ſolo titulo inſtitutionis relinquendam eſſe, ſancivit Imperator, cum inquit *in Nov.* 115. *C.* 3. *pr. Non licere penitus patri vel matri, avo, vel aviæ, proavo vel proaviæ, ſuum filium vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exheredes in ſuo facere teſtamento, nec ſi per quamlibet donationem, vel legatum, vel fidei commiſſum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam port ionem.*

Quæ quidem eouſque vera ſunt, ut licet quis ampliſſimo honoratus legato, quod legitimam longe excedat, nec tamen heres ſit inſtitutus, querelam habiturus ſit: videatur Huberus *diſp. ad Inſt.* 62. §. 13. cujus rei *loc. cit.* etiam rationem addit, quæ tamen nobis non placet, rectius hoc ita conſtitutum videtur, partim quia honoratior eſt *inſtitutionis* quam *legati* titulus *l.* 5. §. 6. *ff. de legat. præſt. cont. tab.* partim etiam quia pinguior eſt, dum jure accreſcendi, ad totam hereditatem pervenire poſſet, titulo *inſtitutionis* honoratus, cum contra, *Legati* vel alio quodam titulo, Legitimam percipiens id non poſſit.

X. Li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

X.

Licet autem inſtitutionis titulo minus relictum ſit, quam quod ex legis præſcripto pro legitima debebatur, non ideo tamen querelæ inofficioſi teſtamenti erit locus, ſed dabitur condictio ex lege 30. *C. de inoff. teſt.* ad ſupplementum legitimæ: quæ qualis actio ſit, quibus detur, adverſus quos, ad quid tendat, & plurima alia egregia circa hanc Legitimam, videri poterunt apud Commentatores *ad Inſt. Pand. & Cod. h. t.* Nos manum de tabula! cum hæc de Legitima dixiſſe ſuffecerit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

COROLLARIA.

I.

Miles quo vult modo poteſt teſtari.

II.

In Nuncupativo tamen ejus teſtamento teſtes requiruntur.

III.

Arrogati impuberes querelam inofficioſi non habent, ſi tamen egerint quartam D. Pii non perdunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 G 146